

CAPUT XII.

DE PERSONIS QUÆ NON SUNT DE GREMIO CAPITULI.

§ 1. *De beneficiatis, capellanis et similibus.*

I. Oportet, ut in ecclesia cathedrali congruus habeatur numerus clericorum, qui tum in choro psallere, tum varia per cæremoniale Episcoporum præscripta munera adimplere possint. Hujusmodi clerici vocantur mansionarii, alii beneficiati, alii capellani, portionarii, vicarii, hebdomadarii, choristæ, aut alio nomine pro ecclesiæ consuetudine, foundationum diversitate aut alia ratione.

Eorum officia ex fundatione et institutione beneficia ecclesiastica esse possunt, et eatenus eorum possessores sunt inamovibiles; vel mera sunt servitia, ad quæ adimplenda, certa stipendia recipiunt, et hac ratione ipsi ex justis causis amoveri possunt (1).

Sive pro varia ecclesiæ consuetudine aut statutorum dispositione, ad hæc officia nominentur ab Episcopo, aut a capitulo cum approbatione Episcopi; æquum tamen est, ipsos munerum suorum assignationem recipere a capitulo, cum agatur de officiis mere capitularibus et ab ipso capitulo prorsus dependentibus.

II. Illi capellani sive beneficiati aut quocumque alio nomine vocentur, jure communi non sunt de gremio capituli, nec sub appellatione capituli comprehenduntur, quamvis sint perpetui, quia capitulum constat ex solis canonicis, ut dictum est cap. VI, § 2 (2). Maximum igitur discrimen intercedit inter canonicos et simplices capellanos, quum hi sint veluti canonicorum ministri et nullam partem in capitulo habeant (3).

III. Cum igitur capellani omnesque similes supradicti non sint de capitulo, neque sub ejus appellatione comprehendantur, ipsi nullo per se potiuntur jure interveniendi capitulo. Aliquando tamen ad capitulum convocandi sunt, eique interesse possunt, dum agitur

(1) S. C. C. 25 Maji 1857; *Analecta juris Pontif.* 1858, ser. 3, fol. 243.

(2) S. C. C. 21 Aug. 1734, *Firm.* § 6; 5 Julii 1738, *Cal.* § 4; 7 Sept. 1793, *Eug.* § 4; apud Zamboni tom. 4 *beneficiatus* § II; *capellanus* § 1; *mansionarius* § 1; Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 33.

(3) S. C. C. 4 Jun. 1768, *Vig.* § 3; Scarfantonus *ibid.* animadv. 35.

de eorum interesse aut de administratione bonorum ad massam communem spectantium (1), modo partem suam ex massa communi habeant; si enim certum et statutum stipendium recipiant, bonorum administratio ad illos non pertinet. Item communiter receptum est, illos capitulo interesse posse, et cum canonicis etiam suffragium dare, si id juris sive ex Apostolico indulto, vel ecclesiæ statuto, vel legitima consuetudine, sive ex reservatione quoad aliquem actum a fundatore facta acquisierint (2).

IV. In choro sedere debent post omnes præbendatos, in inferioribus scamnis, distinctis a locis canonicorum (3); nisi aliud ex consuetudine aut speciali indulto aut statuto permittatur (4).

Si alii canonici, parochi aliive ecclesiastici conveniant, in choro servandum est solitum (5). In processionibus, funeribus et similibus, quibus capellani sine capitulo cathedrali interveniunt, præcedentiam etiam non habent (6). Si autem capitulum cathedrale comitentur, tunc capellani, beneficiati et clerici, quovis modo adscripti servitio ecclesiæ cathedralis, vel ad tempus vel in perpetuum, faciunt unum corpus cum capitulo, et omnes simul cum eodem ante alios quoscumque incedere debent; nec propterea aliis præjudicium infertur, quia non procedunt tanquam singuli, sed uti uniti corpori ecclesiæ cathedralis, quod dividi non debet (7). Aliud autem forte esse potest, si v. g. parochi in choro præcedentia perfruantur, et ita eodem jure in cæteris omnibus actibus gaudere debeant (8).

Capellani reliquique clerici ecclesiæ cathedralis inter se præce-

(1) S. C. C. 17 Junii 1797, *Firmana* dub. 1 et 2.

(2) S. C. C. 16 Junii 1731, *Fanen.*; 5 Jul. 1738, *Calar.* § 4; 7 Junii 1760, § 9, apud Zamboni *mansionarius* § 2, n. 2 et 9, tom. 4, *beneficiati* § 2 et 11; *Capitulum* § X et XV; *mansionarius* § IV; *portionarius* § 1; Barbosa de *Canonicis* cap. XXXVII, n. 16 et 17; Bouix de *capitulis* p. V, cap. XVII, § 3; Lucidi de *Visit.* SS. Lim. vol. 2, postulatum IV; de Angelis lib. III, tit. XI, n. 2; Pallottini, *Canonici*, § X, n. 86-88.

(3) S. R. C. 7 Sept. 1658, *Fossanen.*; S. C. C. 27 Feb. 1734, *Placentina.*; 18 Dec. 1762, *Set.* § 5; apud Zamboni *beneficiatus* § V, n. 4 et tom. 4, § XI; Scarfantonus lib. 2, tit. III, n. 17.

(4) S. C. C. 18 Aug. 1731, *Pisana*, apud Zamboni *beneficiati* § V, n. 2.

(5) S. R. C. 16 Jul. 1757, *Cajetana*, 1.

(6) S. R. C. 12 Sept. 1626, *Papien.*

(7) S. R. C. 28 Nov. 1609, *Maceraten.*; 16 Jul. 1757, *Cajetana*, 1; 29 Mart. 1851, *Lauden.*; 25 Sept. 1852, *Monopolitana.*; 5 Mart. 1870, *Maceraten.*

(8) Pallottini, *Canonici*, § VIII, n. 72, 73-86.

dunt juxta ordinem quem habent; locum semel acquisitum non amittunt, etsi antiquiores deinde ad eundem ordinem promoveantur; in æqualitate autem ordinis locum habent juxta receptionem seu possessionem (1).

V. Eorum habitus est clericalis, seu superpelliceum, non autem rocchetto, neque aliæ vestes aut insignia, nisi indulto Apostolico specialiter concessa sint (2).

Genuflectere tenentur, dum transeunt ante altare aut episcopum, dum accedunt vel recedunt, sive pluviali aliisve sacris paramentis sint parati sive non, sive ministrent ad altare sive choro assistant, sive rocchetto vel etiam cappa magna sint induti sive solo superpelliceo, sive Episcopus celebret sive canonicus (3), non obstante consuetudine (4), nisi celebrent, tunc non genuflectunt, et se tantum inclinant (5); aut « nisi simul incedant eodem ordine et gradu cum » canonico parato celebrante, ut in cæremoniali lib. 2, cap. 3, n. 3 » et 10, quia tunc nisi et quatenus canonicus genuflexerit, nec ipsi » genuflectere debent. Quia alias videretur dissonans et discordans, » quod unus vel duo genuflecterent, alius vero non » (6).

VI. Tenentur ad onera, quæ in foundatione ipsis injuncta fuerunt (7), ad functiones, quas facere consueverunt (8), ad omnia munera, quæ cæremoniale Episcoporum per clericos seu beneficiatos aut capellanos obeunda præscribit, et ad hæc opportunis remediis cogi possunt (9). Illis tamen imponi nequit opus, ad quod hucusque obligati non fuerunt, cum exoneratione canonicorum, cum hoc manifestam involvat irrationabilitatem et injustitiam (10) : nova autem onera iis imponere licet, quando pro meliori divini cultus servitio id expedire judicatur (11).

(1) S. R. C. 16 Mart. 1833, *Tiburina*, 2; 11 Mart. 1837, *Anagnina*; Muhl-
bauer Decr. Auth. *Processio*, n. 14 f.

(2) Vid. cap. VII, § 14.

(3) S. R. C. 22 Dec. 1612, *Urbis*; 2 Dec. 1684 et 28 Jul. 1685, *Romana*; 15 Maji
1745, *Asten*; 10 Ap. 1823, *Melphiten*.

(4) S. R. C. 9 Maji 1857, *Dinien*.

(5) S. R. C. 13 Mart. 1700, *Archipæ*, 1.

(6) S. R. C. 22 Dec. 1612, *Urbis*.

(7) S. C. C. 20 Aug. 1774, *Prænest.* § 7.

(8) S. R. C. 3 Aug. 1602, *Patavina*.

(9) S. R. C. 5 Julii 1603, *Hispalen*; 10 Ap. 1604, *Lucerina*; 10 Mart. 1657,
Lucana.

(10) Scarfantonus lib. 1, tit. 3, animadv. 53.

(11) S. C. C. 25 Maji 1857; *Analecta juris Pontif. sér. 3, fol. 244.*

§ 2. De ecclesiasticis extraneis et laicis.

1. Cum omnes in choro habitu choralis induti sint, et induti esse debeant, inde sequitur, ullum ecclesiasticum cum vestibus nigris, sine habitu choralis, ad chorum accedere non posse, neque ibidem persistere, sive inter chorales, sive in plano ad unam aut alteram partem. Soli excipiuntur familiares Episcopi et vicarius generalis, ut dictum est cap. XI, § 6.

Ecclesiastici, qui non sunt de gremio, etsi habitu choralis induti sint, occupare tamen nequeunt loca seu stalla canonicorum et aliorum de capitulo, aut inter eos sedere (1).

II. Quoad sæculares cæremoniale Episcoporum (2) præscribit :
« Sedes pro nobilibus, atque illustribus viris laicis, Magistratibus,
» ac Principibus, quantumlibet magnis, et primariæ nobilitatis,
» plus minusve, pro cujusquam dignitate, et gradu ornatæ, debent
» extra chorum et presbyterium collocari, juxta sacrorum cano-
» num præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta,
» jam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductæ, ac longo
» tempore observatæ. »

Laicis igitur, quicumque sint, non licet in choro seu presbyterio sedere et locum habere, aut infra officium divinum huc ingredi ad assistendum (3); neque officialibus sæcularibus (4), neque magistratui (5), licet sub prætextu inserviendi Episcopo pontificaliter celebranti (6), neque dominis loci (7), neque gubernatori (8), neque duci (9), neque priori seu rectori et fratribus societatis aut con-

(1) S. R. C. 8 Jan. 1605, *Eiboren*; 2 Ap. 1667, *Limana*; 10 Sept. 1701, *Cortonen*, 10.

(2) Lib. 1, cap. 13, n. 13.

(3) S. R. C. 20 Ap. 1663, et 15 Mart. 1664, *Senogallien*; 10 Ap. 1666, *Urien*;
13 Mart. 1688 et 22 Ap. 1690, decreta gen. Conc. Rom. 1725 tit. 28, cap. 4; Ca-
talanus in *Cærem. Ep. lib. 1, cap. 13, § 13*; Gardellini *Instruct. Clem. § VII, n. 1.*

(4) S. R. C. 20 Jun. 1665, *Algaren*; 2 Ap. 1667, *Dertusen*.

(5) S. R. C. 31 Aug. 1669, *Bononien*; 12 Mart. 1689, *Gerunden*; 10 Jun. 1690,
Bononien.

(6) S. R. C. 12 Jul. 1704, *Motulen*.

(7) S. R. C. 28 Sept. 1630, *Trevict*; 15 Sept. 1640, *Ostanen*.

(8) S. R. C. 28 Junii 1642, *Aquilana*; 15 Jan. 1667, *Melphitana*; 23 Jun. 1703,
Montis alti.

(9) S. R. C. 14 Maji 1707, *Ostunen*.

fraternitatis (1) : etiamsi id officialibus, magistratui aliisque præfatis aliquando concessum et permissum fuerit (2); et etiam non obstante quacumque possessione et consuetudine (3), cum talis consuetudo sit irrationalis, ac proinde ut talis introduci non possit, et ubi introducta est, abrogari debeat; 1° quia laicorum sessio in presbyterio communiter non fit ex majori illorum devotione, sed ex aliquo minus legitimo affectu; 2° quia ordo sacer et ecclesiasticus ex natura et institutione sua exigit, quod sit in loco nobiliori, ita ut sæculares præcedat; illa autem laicorum consuetudo sedendi in presbyterio, facit, quod honor, qui Dei ministris in loco sacro exhibetur, communis fiat cum laicis; 3° quia inde ordinarie sequitur diminutio reverentiæ tum loco sacro, tum ecclesiæ ministris debitæ; 4° quia, ut liquet, laicorum ex presbyterio exclusio conformatur regulis rectæ rationis adeoque eorum admissio eisdem adversatur, ac igitur irrationalis dicenda est (4). Illa ergo consuetudo, ubi non existit, nullatenus admitti et introduci potest; ubi autem talis usus obtinet, prudentia etiam exigit, ut admodum caute procedatur, ne turbæ excitentur, et quis plus obsit, quam prosit.

Excipiuntur sequentes casus, in quibus laicis in choro et presbyterio sedere licet: 1° si specialis Sedis Apostolicæ licentia impetrata fuerit (5).

2° Excipiuntur personæ regiæ et principes non recognoscentes superiorem, quibus jus non resistit, non autem alii principes, quantumlibet magni et primariæ nobilitatis, quibus semper lex obstat, ut liquet ex textu cæremonialis Episcoporum supra allato (6).

3° Laici veste talari et superpelliceo induti, v. g. cantores, num in choro admitti possint, dubitari potest. Superpelliceum enim proprie est vestis clericalis, qua clericus in susceptione tonsuræ ab Episcopo induitur, adeoque laicis non convenit: cum tamen contrarium fere communis habeat consuetudo, ut scribit Cavalieri, et cantorum sæcularium præsentia ob defectum cantorum ecclesiasticorum eorumque incapacitatem ad decentem officii celebra-

(1) S. R. C. 23 Sept. 1713, *Baren*; 28 Jul. 1789, *Urbis S. Joan.*

(2) S. R. C. 21 Feb. 1604, *Compostellana*; 24 Oct. 1609, *Granaten.*

(3) S. R. C. 2 Ap. 1667, *Dertusen*; 31 Aug. 1669, *Bononten.*

(4) Catalanus in *Cærem. Ep. lib. 1, cap. 13, § 13, n. XV.*

(5) S. R. C. 8 et 18 Jul. 1654, *Mediolanen*; 16 Junii 1674, *Cremonen*; 12 Mart. 1689, *Gerunden*, 1 et 2.

(6) Catalanus in *Cærem. Ep. lib. 1, cap. 13, § 13, n. XVIII*; Gardellini in *Inst. Clem. § 27, n. 3.*

tionem valde conferre valeat; laicorum assistentia in habitu clericali, tam facile reprobanda non est (1).

Quid autem dicendum est de variis muniis in choro et apud altare faciendis, v. g. de disponendo legili, de antependio mutando, candelis aptandis et purgandis, de aliquo vocando ex choro? An ad hæc infra officium agenda, clericus superpelliceo indutus esse debet? An in defectu clerici laicus in vestibus sæcularibus illa facere potest, vel etiam togam et superpelliceum induere debet? Si clericus ista faciat, habitu choralis indutus esse potest. Ad hæc tamen munia facienda, nemo habitu choralis seu clericali indutus esse debet: licet enim oporteat, ut omnes qui choro assistunt, habitu choralis induti sint; hæc tamen faciendo, aliquis choro non assistit, sed solummodo præstat servitium, quod per se superpelliceum et habitum choralem non requirit: adeoque cum superpelliceum et habitum choralis laico per se non conveniant, et officium quod præstat, hæc non exigat; laicus, qui illa peragit, superpelliceum non assumit, sicut familiares et magistratus, qui manuum lotioni Episcopi inserviunt, etiam in habitu quotidiano ministrant.

Cum jam propositum et explicatum sit, quod capitulum cathedrale sit collegium clericorum ab Ecclesia institutum; sequitur agendum de fine capituli, qui imprimis est juvare Episcopum, sede plena. Hoc juvamen seu auxilium, quod canonici Episcopo præstare tenentur, concernit assistentiam canonicorum, servitium duorum canonicorum, consilium dandum, etc.

(1) Baruffaldus in *Rit. Rom. tit. 2, n. 59*; Cavalieri tom. 4, dec. 66, n. 19; *Sacræ Lit. praxis tom. 1, n. 162.*